



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 90. Nativitas Caroli V.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

Sæcul. XV.
A.C. 1500. veniam concedere recusabat, caussatus, Galliarum Regem ejusmodi connubio vehementer obluſtari: Unde diu satis protractum est negotium, quod tamen Papa denique in favorem Lusitanæ Regis decidit. Ergo Mense Augusto Granaſe sponsalium solemnia celebrantur, atque juvene Regina die vigesima Octobris Lusitanæ Regnum ingrediente, trigesimo ejusdem Mensis ipsum connubium contrahebatur. Paulo post Margarita Austriæ Archiducissa Joannis Castellæ Principis defuncti olim conjux, secundis nuptiis desponsata est Philiberto Sabaudia Ducis, quo tamen brevi e vivis erepto, jam secunda vice vidua existit.

§. XC.

Nativitas Caroli V.

Marian. lib. 27. n. 35.
Nhucler. chr. general. 51. p. 515. Majus adhuc lætitiæ argumentum fuit, quod die vigesima quinta Februarii in festo S. Matthiæ, ex Joanna Philippi Archiducis Austriaci conjuge natus esset Gandavi in Flandria Filius, qui fuit gloriosissimus ille Carolus V. de quo frequens mentio in decursu Historiæ recurret. Octavo natiuitatis sue die Margarita Austriæ Princeps ejusdem amita ex Hispania Gandavum reversa, recens natum de sacro fonte suscepit, eodemque munus obibat Margarita Ducissa Caroli

Caroli *audacis* Burgundiæ Ducis secunda conjux : Huic vero Principi post susceptum Baptisma Lucemburgici Ducis titulus inditus est, veteri more mutato, quo olim Ducum Burgundiæ filii natu majores, Carolesii Comites vocari solebant. Tota Hispania communi, eoque ingenti gaudio afficiebatur ob Principis hujus Nativitatem, qua comperta exclamabat Isabella : *Sors cecidit super Matthiam*, alludens ad diem festum, quo Princeps iste primam lucem aspexit.

§. XCI.

Michaelis Principis obitus, & Archidux Castellæ Princeps dictus.

Nec vanum erat Isabellæ augurium ; eodem enim anno die vigesima Julii Michael Regis Catholici filius Granatæ supremum vitæ diem clausit, a cujus obitus die Philippus Archidux, ejusque conjux Joanna Archiducissa Castellæ Principes dici cæpere, cum essent proximi Castellæ, & Arragoniæ regnorum hæredes, omniumque ditionum, quæ ad illa pertinebant, successores ; hanc vero amplissimam hæreditatem posteriori tempore Carolus V. solus possidebat.